Oremus igitur DNM. Ut tandem respiciat
nos clementer, & ostendat se Ecclesiae suae
verum tutorem esse. Bene ac foeliciter vale.
Quaeso te diligenter salutes meo nomine Reverendos
Viros dd. pastores & concionatores apud Vos
& commendes me precibus eorum. Basileae
die 5. Decemb. Anno 1548

Io. Brentius tuus

Clarissimo Theologo Nicolao
Amsdorffio patri suo in Christo
observandissimo.

S. D. P. Charissime pater mitto tibi aliqua exemplaria
excusa, quae a concionatoribus Iuniorum
Principum scripta sunt contra INTERIM.
Praeterea scias me, cum uxore mea, gratia
Dei, adhuc valere. Pestis aliquantulum
desijt, praeterita septimana tantum 50
habuimus funera, Deus omnipotens

suam iram a nobis avertere velit.
Ex aedibus nostri pastoris hac peste septem
sunt mortui. Ex adversarijs nostris
nemo est, qui adeo nobis molestus est
atque ille Marchio. Deus illi rependat.
Multa mala de Caesare nobis minantur,
sed omnia in manu Dei sunt posita.
ille sit noster defensor per Christum ser-
vatorem nostrum, Amen.
Senatus noster scripsit Ioanni Brentio,
qui iam apud Basilienses exulat, Ut apud
nos Episcopi officio fungi velit, Quid fu-
turum sit ignoro. Deus velit suam
Ecclesiam iam undique cruci subiectam,
defendere, liberare, ac gubernare. Orabi-
mus ~~etiam~~ omnes sedulo, qui etiam te
in utilitatem Ecclesiae suae diu incolumem
conservet, Amen. Salutat te uxor mea,
Ioannes Stengel & Iohannes Han.
Datum Magdeburg. 4. Decemb. Anno 1548
T. P. obsequentissimus
Sebastianus Werner.